
tum

3 2044 107 244 782

MH
D 37.3



M.C.

DE PEVCEDANO GERMANICO

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO BOTANICA

QVAM

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGI BORVSSIAE

SILESIAEQVE DVCE RELIQVA

BVRGGRAVIO NORIMBERGAE RELIQVA

CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO

ET TRIVM LEGIONVM ATQVE COHORTIVM PRAEFECTO

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

D. HENRICO FRIDERICO DELIO

SERENISS. MARGGRAV. CONSIL. AVL.

MED. PROF. PVBL. ORDIN.

ACAD. IMPER. NATVR. CVRIOS. SODAL.

FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

LEGITIME CONSEQVENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

PAVLVS CHRISTIANVS LVDOVICVS WAGNER

PAPPENHEIMENSIS

SERENISS. MARGGR. BRAND. CVLMB. MED. AVL.

ET PHYS. CIVIT. ADIVNCT. DESIGNAT.

D. IVL. MDCCLIII.

ERLANGAE APVD IO. DIET. MICH. CAMERARIVM ACAD. TYPOGR.

27927

De Haller

Orat. de Botan. vtilit.

Botanice errores officinarum corrigit, et auxiliorum notas certiores conſtituit, iam inuentis efficaciora auxilia ſubſtituit. Vnum laboris praemium petunt Botanici, vt concedatis, aliquid eos ſuis prodeſſe laboribus.

PERILLVSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

PHILIPPO FRIDERICO

LIBERO BARONI

DE RACKNITZ

DOMINO IN ST. VLRICH OBER MARBVRG

KIEHNBERG BERNECK HAVNSHEIM

ET HEINSHEIM ETC.

SERENISSIMI PRINCIPIS MARGGRAVII

BRANDENBVRGICI CVBICVLI COMITI

AC CONSILIARIO REGIMINIS

FVNDATIONIS GEIZIKOFLERIANAE

ADMINISTRATORI RELIQVA

MAECENATI SVO

GRATIOSO

ATQVE

LITERARVM PATRONO

MAXIMO

PRIMITIAS SVAS ACADEMICAS

IN

DEBITI OBSEQVII SYMBOLVM

ET

OBSTRICTISSIMAE MENTIS DOCVMENTVM

OFFERT ET CONSECRAT

PAVLVS CHRISTIANVS LVDOVICVS

WAGNER.

DISSERTATIO BOTANICO MEDICA

DE

PEVCEDANO GERMANICO.

PROOEMIVM.

Qvam male ſibi futuri conſulant Medici, qui, per compendium intempeſtiue quaſi euntes, aut nimium feſtinantes, plerarumque ad medicinam pertinentium ſcientiarum profundiorem paulo ſiue accuratiorem negligunt inquiſitionem, omnibus perſpectum eſſe exiſtimo, qui quantum ad rite perficiendam pertineat haud ignorant medicinam. Commune praeter

reliquas ſcientias hocce etiam ſaepiuscule BOTANICA ſubit fatum, et dolebunt ſane ii, qui, quam arcto haec cum medicina cohaereat vinculo, tandem perſpicient. Quis quaeſo Medici nomen iure meritoque acquirere poterit, qui in ampliſſimo rei herbariae ignarus inuenitur campo? Quis ſanitatem tueri, morbos tollere, et hominem e faucibus eripere poterit mortis, quem vires latent medicamentorum? Et nonne ſimpliciſſima apud veteres fuit medicina cognitio plantarum? Certe ex accurata disquiſitione oritur cognitio, et ex hac fundamentum totius medicinae, experientia ſcilicet rationalis. Antiquiſſimis iam haec excoli coepit temporibus, et omni cauebant modo, ne tractu perirent remedia temporis. Hinc in vias Lacedaemonii, Aegyptii, et alii, publicas, in templa, exponebant aegros, vt interrogarentur transeuntes, vtrum ſimilibus, qualibus hi, laborauerint morbis, et per quae ſanati fuerint remedia: Quo denique factum, vt interdum medicamenta, longa comprobata experientia, aegris poſterisque medicinam facientibus innoteſcerent; quae

ſane

ſane medicamina, certis morbis propria, inueniendi ratio, tutior ac melior adhuc fuit quam illa per inſomnia fallaciſſima, de qua CVRTIVS LIB. 9. c. 8. dicit, quod PTOLOMAEO, gladio, veneno tincto, ſauciato, ALEXANDER MAGNVS per quietem ſpeciem quandam vidiſſet Draconis, herbam aliquam ferentis ore, quam veneno remedium eſſe monſtraſſet, hanc requiſitam ac denique inuentam, vulneri impoſuiſſet, protinusque dolore finito, intra breue temporis ſpatium cicatrix fuiſſet obducta.

Quoniam autem remedia ab antiquis diuerſis comperta temporibus, occaſionibus magis et nudae Empiriae, quam experimentis legitime factis originem debent ſuam, optandum eſſet, vt hodierni medici, in medicamentorum virtutes, eorumque proprietates ſedulo inquirerent, herbasque nunc ex hac, nunc ex alia examinarent parte, et omnia accuratisſime proſequendo, quoad fieri poterit, exhaurirent, vt methodo firmis experimentis ſuperſtructae tuto fidere poſſemus. Hoc ſi fieret multis ſane exoticis carere poſſemus medicamentis,

mentis, cum praecipue Germania noſtra ob moderatam aëris temperiem, magna copia talia proferat, quae tuto praeſtantiſſimis, magno ſumptu ex vtraque India allatis medicamentis ſubſtituenda eſſent. Medicum enim clinicam exercere volentem praxin, ſumma vrget neceſſitas vt in tam innumeris corporis humani affectibus copia quoque auxiliorum ſit inſtructus, quibus generis humani deſtructoribus obicem ponere, ſecundum iuſta principia poſſit. Sed nonſolum copia, verum etiam medicamentorum intimior cognitio religioſo opus eſt medico, et cum multa adhuc in officinis inueniantur, quae vlteriori indigent disquiſitione, optandum certe eſſet, vt cuncta a medicis examinarentur. Haec ſufficiens eſt ratio, cur disquiſitionem de PEVCEDANO, planta, in ampliſſima materiae medicae ſylua nondum ſatis cognita et deſcripta, inſtituerim.

Illud vero adhuc praemonendum cenſemus, nos nobis id minime arrogare, vt omnia quae de Peucedano dicenda ſint, recenſuiſſe credamus; ſed nonnulla tantummodo de eius partibus

tibus conſtitutiuis, patria, charactere botanico et vtilitate in medicina Beneuolo Lectori ante oculos ponimus et aequum ab illo exſpectamus iudicium.

§. I.

Cum animus nobis ſit, diſquiſitionem inſtituere PEVCEDANI, ad nomen eius ipſum ante omnia reſpiciendum nobis erit, ne cum alia ſpecie plantarum confundatur noſtra. Inuenimus autem plantam hancce in graecis rei herbariae ſcriptoribus ſub nomine πευκεδανος ſiue πευκηδανον, inſignatam, quam latini Peucedanum, Arabes vero Harbatum dicunt. THEOPHRASTVS ERESIVS *Hiſt. Plant. lib. 3. pag. 164.* huius plantae nomen a pinu deriuat: dicit nempe πευκηδανον, quod foliis πευκην referat, nomen accepit; huius folia pinum non piceam referunt, nec piceaſtellum ſed pinaſtellum vocatur. Qua de cauſſa etiam ab APVLEIO, pinaſtellum, id eſt parua nominata eſt pinus, cum quo etiam CHABRAEVS *in ſtirpium Iconibus et Sciagraphia pag. 386.* conuenit, ſcribens: fecit autem Pinus, quae graecis πευκη dicitur, Peucedano nomen: non congener congeneri, aut ſimilis ſimili planta, ſed ſpecioſa et procera arbor parem folio tantum ſibi humiliorem fruticem veluti adoptauit. Alii a foetore nomen inueniſſe putant; apud poetas enim, *vid. HOMER. Iliad.* amaror atque horrendus foetor πευκηδανς voce ſignificabantur:

in quam etiam NICANDER diſcedit opinionem, vbi in Theriaca ſic cecinit ſua:

Nec non Peucedanum cuius grauis aëra complens,
Pellit odor colubros, hominumque occurſibus arcet.

Aliis foeniculum porcinum a foliis, et noſtratibus *Saeu-Fenchel*, *Schvvefel Wurtz* ab odore et colore, et *Haarſtrang* ab effectu et a coma vocatur.

§. II.

Sed ad deſcriptionem plantae ipſius nos conuertamus, et a radice, tanquam omnium plantarum fundamento, incipiamus, ac perinde reliquas peucedani partes perluſtratum ibimus.

Vnicum autem plerumque *radix* noſtra, in iunioribus praeſertim, ſiſtit truncum, et coni inſtar e terra effoditur. Quamquam etiam in breuibus ramis cylindricam magis aſſumat figuram, tamen poſt longam peractam viam ſenſim ſenſimque rurſus decreſcit, atque longiſſimum producit conum. Altis ſe defigit radicibus, quae, niſi aliquid obſtat, perpendiculariter deſcendunt et plurimos ramos, ſeu potius fibrillas emittunt, quae propter teneritatem obliquas intortasque vt plurimum proſequuntur vias. Superficies radicis externa magis fuſcum quam nigrum induit colorem, quamquam veteres ſemper nigrum deſcripſerint: *vid. Theoph. Eres. Plin. Matthiol.* cuticula vero exteriore abraſa, ex flauo albidam ſeu potius liueſcentem nobis oſtendit ſubſtantiam. Grauem ſpargit odorem, nauſeoſum, paſtinacae ſimillimum. Valde

ſolida,

ſolida, vaſis tamen vbique repleta, gaudet carne, qua recens diſſecta lactescentem, glutinoſum, valde amarum plorat ſuccum, in libero aëre mox in firmam abeuntem ſubſtantiam, thuris inſtar, quae prunis iniecta ſatis gratum ſpargit odorem. Centrum radicis perforat neruus craſſus flauescens, ſolidior paulo, et in annoſis plantis valde lignoſus. Magnitudinem radicum determinare vix poterimus: pro varia enim aetate, interdum etiam pro vario ſolo, variam habent craſſitiem; inuenimus radices, quarum longitudo tres ferme pedes rhenanos ſuperabat, ſed parciores vidimus.

§. III.

Vt plurimum radicis capita ſimplicia inueniuntur, quamquam bifida, trifida atque quatrifida perſpexerimus, ita tamen, vt omnia vno communi trunco inhaererent. Superior pars trunci, ſeu potius caput, excreſcentiis fuſcis exſuccis, comae inſtar, a reliquiis caducorum foliorum ortis, armata eſt, quae forſitan propullulantibus foliis magno ſunt vſui, inter quas ex ipſa radice oriuntur folia aliquot, interdum plura, foeniculacea, quinquies tripartito diuiſa, foliolis linearibus ſubulatis integerrimis, viridia et laeuia, ex quorum medio tres, quatuor, imo quinque exſurgunt caules, velut geniculati, graciles, foeniculo ſimiles: longis ſatis interuallis ſubſequuntur rami, qui rurſus in alios diuiduntur ramos, et quidem ita, vt eorum ſummitates denique in Vmbellam terminentur. Caulis laete viridem oſtendit colorem, et recens diſſectus lacteſcit; ſtriis longitu-

dinalibus praeditus, interne medulla farctus eſt, et maxima craſſitie calamum attingit. Praeter folia radicalia ad caulis veluti genicula et diuaricationes in ramos, folia prorumpunt, vaginis amplexicaulibus vncialibus, et ſemuncialibus donata, quinquies tripartito diuiſa, integerrima, anguſtiſſima, ex lineari ſubulata, ramulis autem ad 2. vel 4. vnciarum diſtantiam vaginae amplioribus, Semunciam longis, in baſi amplexicaulibus, et ſuperius in foliola linearia ſ. filiformia, terna fiſſis, adnaſcuntur. Illud addimus, quod vix vllo ſponte gaudeant folia odore, ſaporem vero petroſelini inſtar exhibeant, et diu maſticata reſinoſi aliquid linguae adhaereat.

§. IV.

Ex ſummitate denique caulium, glomere quodam cincta, ſenſim ſenſimque euoluitur vmbella modice conuexa, laxa atque quodammodo diffuſa, ex pluribus conſtans radiis ſtriatis, exterioribus longioribus, numero incertis, ſaepius octodecim, in vmbellulas ſecundarias, ſeu radiolos plures breuiores abeuntibus, quibus inſident corollae ſiue flores perfecti, pentapetali, aequales, lutei, exigui, roſacei ſeu quinque petalis in orbem poſitis, germini ſ. ouario inſidentibus, quibus reſpondent ſtamina quinque gracilia, ferentia antheras ſimplices, puluerem luteolum fundentes: in media floris parte ex ouario ſeu germine ſurgit ſtylus duplex, ouarium autem ipſum demum abit, vt in vmbelliferis plantis, in bina ſemina nuda, foliacea, latiuſcula, in interna eorum parte aliquomodo concaua, tenuia, non carnoſa,

in

in dorſo leuiter ſtriata, ac angelicae ſemini haud diſſimilia, quae recentia odore aliquo acri nares afficiunt, maſticata autem nauſeoſo acri gaudent ſapore. Vtrisque vmbellis tam primariis quam ſecundariis et minoribus, ſubiacet inuolucrum ſ. calyx, ex foliolis breuibus, planis, linearibus, ſtellatis compoſitus, quare planta a ROYENIO ad vmbelliferas inuolucro duplici numeratur.

§. V.

Finita nunc plantae noſtrae deſcriptione, vt in eius hiſtoria pergamus, locumqne indicemus natalem, noſtrum erit. Vt plurimum ſolum amat arenoſum atque aridum et raro in puriori pinguiorique naſcitur terra. Sponte in multis locis noſtrae prouenit *Germaniae*, et plerumque in locis vmbroſis, obſcuris, montoſisque inuenitur dumetis. Sic creſcentem vidit Peucedanum, LONICERVS, prope Francofurtum, ſub montis opaci radicibus, et VAILLANT in variis Galliae ſyluis, praecipue vero prope *St. Germain*, GESNERVS in locis *Baſileae* montoſis collegit, DODONAEVS in montanis Italiae, raro in apricis et pinguibus, et IOANNES BAVHINVS, in variis aruis arenoſis, *Sileſiae* inuenit. RAIVS in foſſis paluſtribus, prope *Shoreham* in *Suſſetia* obſeruauit; ad Thamaſin flumen copioſe prouenire atque in foſſis paluſtribus maritimis prope WALTON, non procul *Haruico* in *Eſſexia*, creſcere idem autor eſt. Quin etiam in ſyluis de *Meudon de Verſailles*, de *Ruel de St. Germain*, de *Poiſſy* et de *Fontai-*

nebleau ſpeciem quandam Peucedani, gallicum dictum, magna in copia inuenit. TRAGVS, in altis vmbroſis et opacis ſyluis, vt eſt *Hercyniu*, et ea quam Germani *den Speſſart*, et quam *Ydar* nominant, nec non in Wasgouia, prouenire tradit. TOVRNEFORTIVS in variis Galliae montibus, LOESELIVS vero in montoſis *Boruſſiae* reperit. Teſtante BVXBAVMIO, in flora Halenſi, in ſyluis *hinter Guttenberg*, et in pratis iuxta *Sckopau* copioſe creſcit, prope *Lauchſtadium* olim in pratis in copia inuenit ILL. PRAESES. RVPPIVS in pratis ſiccioribus inter Lipſiam et Vitebergam, et de BERGEN in campis arenoſis prope *Francofurtum ad Viadrum* vigentem noſtram inuenerunt plantam. Naſcitur quoque, tradente MAVRITIO HOFFMANNO, in ſepibus *Altdorfinis*, et notante VOLKAMERO, in aruis arenoſis Norimbergenſibus, et BOEHMERO, in montoſis dumetis, non procul a Lipſia *nach Raſchvvitz* ad pagos *Groſs und Klein Zchocker.* In *principatus noſtri Baruthini pratis*, Magnificus et Illuſtris WEISSMANNVS, Auus ad cineres ſumme deuenerandus, magna in copia, prouenire vidit Peucedanum, inter *Iltesheim* et *Burgbernheim.* Sed ſufficere poſſe haec quae de loco natali adduximus, arbitramur, cum ex his ſatis luculenter iam perſpici poſſit, in compluribus Europae regionibus Peucedanum creſcere.

§. VI.

Cum vero in tam diuerſis locis noſtra inueniatur planta, ſponte ſequitur, vt pro diuerſo climate diuerſoque ſolo, diuerſum habeat naſcendi tempus. In

noſtris

noſtris terris iam menſe Maio, folia perſpicere et Auguſti initio vmbellam carpere licet; circa finem vero huius menſis et initium Septembris ſemina matureſcunt, et menſe Octobri denique ſuum Peucedanum ſplendorem amittit, dehiſcit et quaſi interit; ſequenti vero aeſtate radices rurſus vireſcunt, folia floresque emittunt. Quam miram autem noſtra habeat planta langaeuitatem ex craſſitie radicum concludere poſſumus.

§. VII.

Reſtat adhuc, vt breuiſſimis ordinem tangamus, quem Autores, in ſic dicto ſyſtemate botanico, plantae noſtrae tribuerint. Omnes in eo conueniunt, vmbelliferum eſſe Peucedanum, et ob hanc ſolummodo cauſam a Botanicis in diuerſas collocatum fuit claſſes quia nonnulli in eius deſcriptione magis ad florem, alii ad fructum, et alii denique ad folia ipſa reſpexerunt. Ab HERMANNO itaque Peucedanum iungitur plantis ſeminibus nudis, binis, ſequentibus ſingulos flores. AMMANNVS et MORISONVS referunt ad plantas vmbelliferas, foliis foeniculaceis, ſemine foliaceo ſubrotundo. RIVINVS plantis flore irregulari pentapetalo intermiſcet, et *ferulis* annumerat, quod idem RVPPIVS fecit. TOVRNEFORTIVS in *Claſſe* VII. herbis floribus vmbellatis, circinato diſpoſitis, iungit, quorum calix abit in duo ſemina ouata plana, ſatis ampla. Secundum RAIVM planta noſtra ad umbelliferas, ſemine foliaceo, foliis in ſegmenta tenuia, auguſta, tripartito diuiſis et ſubdiuiſis pertinet. LVDWIGIVS

WIGIVS habet in Claſſe duodecima de plantis flore pentapetalo vmbellato. BOEHMERVS Peucedanum Gymnodiſpermis vmbelliferis, ſemine lato compreſſo annumerat, LINNAEVS in Claſſe V. ad Pentandria digynia, gymnodiſperma, inuolucro vniuerſali et partiali, et *van* ROYEN ad vmbelliferas inuolucro duplici referunt. De BERGEN denique illud nobis in Claſſe VII. plantarum flore roſaceo ſiſtit.

Haec ſunt, quae de ordine peucedani ex Botanicorum libris adducere voluimus, ſed quo eo melius omnia vno quaſi conſiderare poſſimus oculo, omnia ex ſuperius dictis breuibus complectemur, et notas genericas et ſpecificas paucis deſcribemus. Habet itaque Peucedanum Semina nuda, ouata, bina ad ſingulum florem, foliacea, latiuſcula, ſtriata. Flores perfectos, pentapetalos: in vmbellam, duplici inuolucro donatam, congeſtos: folia anguſtiſſima tripartito diuiſa et ſubdiuiſa. v. §. 4.

§. VIII.

Supereſt, vt Species earumque varietates notas et nomina percurramns, quae plantae noſtrae a diuerſis autoribus data ſunt, et monſtremus, quaenam ſpecies verum *Officinarum noſtrarum Peucedanum* nominanda ſit. Magna autem apud Autores in determinandis ſpeciebus et ſynonymis huius plantae inuenitur confuſio; faciamus tamen periculum, et extricemus nodum hunc Gordium, quoad vires et in ampliſſima herbarum ſcientia infantia noſtra permittent.

§. IX.

§. IX.

Species itaque nobis genuinae erunt:

I. PEVCEDANVM GERMANICVM, C. B. P. 149. TOVRN. Inſt. 318. I. B. LOB. BOERH. I. 66. BVXB. *Cat. pl. H.* 258. RVPP. *Flor. Ien.* Edit. I. 263.

Peucedanum MATTH. 579. TABERNAEM. 163. RIV. CHABR. 386. LOB. *Hiſt.* 453.

Peucedanum vulgare, PARK.

Peucedanum foliolis quinquies tripartitis linearibus ſubulatis, integerrimis, LINN. *Cliff.* 93. *Vpſ.* 60. ROY. *Prodr.* 98. GMEL. Flor. Sib. I. 188.

Foeniculum Sylueſtre LONICERI, Lugd. 689. foeniculum porcinum, LOB. Ic. I. 781. Adv. 350. obſ. 453.

Peucedanum maius breuioribus foliis germanicum, MORIS. III. 213. ſ. IX. tab. 15. f. 2. I. B. III. 36.

Huius quoque merito Synonymon fecerunt TOVRNEFORTIVS, BVXBAVMIVS et RVPPIVS.

PEVCEDANVM MINVS Germanicum, I. B. III. P. 2. 36. quod varietas ſolum prioris eſt, cuius Synonyma ſunt: Peucedani facie puſilla planta, Lob. p. 745.

Peucedanum Pannonicum CLVSII, p. 196. cuius icon tamen notante VAILLANTIO in Botan. Pariſ. p. 159. potius ad *Peucedanum Gallicum* rarioribus et breuioribus foliis H. R. P. ſpectat.

Saxi-

Saxifraga minor tenuiſſimis et longiſſimis foliis, MOR. H. O. III. p. 273. Apium petraeum Peucedani facie noſtras. PLVKN. p. 34.

II. PEVCEDANVM MAIVS ITALICVM, C. B. P. 149. I. B. III. part. 2. 36. LOB. Ic. 782. TOURN. I. R. H. 318. CHABR. St. Ic. et Sciagr. 386. MOR. Vmb. 36. Tab. 9. H. O. III. 312. LOB. obſ. 454. PARK. Th. BARREL. Ic. 78. BOERH. I. 65. 1.

Peucedanum foliis longioribus DOD. p. 317. anne huius varietas cenſenda erit?

Peucedanum maius Italicum foliis longis anguſtis, BOERH. 166. 2.

Hanc et conſequentem ſpeciem, vtpote noſtris terris incognitas, ipſe nunquam legi, dabo tamen ex PARENTIS DILECTISSIMI Horto ſicco inſtructiſſimo vtriusque breuem deſcriptionem, vt ſpecifica differentia eo clarius eluceſcat.

Peucedanum maius Italicum caules habet altius ſtriatos, cauos, ramoſos ad ſinguli rami exortum folio praeditos, folia longiora, tripartito diuiſa, profundius fiſſa, lobis paulo latioribus, quam in germanico, linearibus ad ſupremorum ramulorum exortum, communiter aut frequenter ſimplicia linearia indiuiſa; Vmbellas minores non adeo diffuſas, duplici inuolucro donatas, flores albos.

III. PEVCEDANVM GALLICVM rarioribus et breuioribus foliis, *Hort. Reg. Par.* TOVRN. *Inſt.* R. H. 318. VAILL. Botan. Par. 159.

Peucedanum

Peucedanum minus foliis lobatis anguſtis, MORIS. Praelud. 156. et 293.

Habet hoc radices digitum minimum vix craſſas, parum comoſas; folia radicalia terna vel quaterna, longioribus pediculis inſidentia, quadrupliciter vel etiam quinquies tripartito diuiſa, lobis breuioribus et latioribus in acutum apicem terminatis ſeu lanceolatis; Caules pedales et ſesquipedales, rectos, ſimplices, rotundos, tenues et laeuiter ſtriatos, ad quinque, quadri - aut triunciale ſpatium ex paruo veluti geniculo producentes vaginas ſemunciales, in baſi amplexicaules, et ſuperius in foliola, radicalibus tenuiora et anguſtiora, bi - vel tripartito diuiſa, linearia, terminatas, in ſummo caule vmbellam paruam involucro duplici, flores candidos aut purpurascentes: Vnde varietas:

Peucedanum Gallicum rarioribus et *breuioribus foliis*, *fl. purpureo*. TOURN. *Inſt.* R. H. 318. VAILL. Bot. Par. p. 159.

§. IX.

Equidem Botanicorum noſtri Seculi Principes, Illuſtr. ſtellae polaris Regn. Suec. eques, LINNAEVS, perill. de HALLER, Cel. GMELINVS et *van* ROYEN Peucedani ſpeciebus, ſequentes adiungunt plantas:

α.) Peucedanum foliis linearibus ramoſis LINN. H. Cliff. 94. ROY. Prodr. 98. 3.

β.) Peucedanum foliis alternatim longiſſimis, LINN. H. Cliff. 94. van ROYEN. Prodr. 98. 4.

γ.) Peucedanum foliis pinnatim diuiſis, laciniatis, oppoſitis, LINN. H. Cliff. 94. van ROY. 98. 2. GMEL. I. 189.

δ.) Peucedanum pinnis duplicato pinnatis, fóliis latiuſculis longetrifidis, HALL. HELV. 442.

ε.) Peucedanum foliis duplicato pinnatis foliis auguſtis breuiter trifidis, HALL. HELV. 442.

Quoniam autem alii Autores botanici, has, ob leues certe foliorum et Seminum differentias, iam *ſeſeli*, *ferulae*, *angelicae*, aut *ſilai* ſpeciebus annumerauerunt, variaque dubia et difficultates rem premunt, quas in DILLENII *Catal. Plant.* Giſſ. p. 136. et BOEHMERI *flora Lipſ.* pag. 197. et 201. videre poſſumus: liberum eſto vnicuique, plantis hisce genus ſuum aſſignare, donec naturalis vmbelliferarum diſpoſitio, ſpecialia magis et certiora ſuppeditabit.

§. X.

Porro nonnulli Autores ſequentibus quoque herbis nomen Peucedani tribuerunt, ſed perperam hoc factum eſſe ex inde colligendum, quia penitus a vera noſtra planta eiusque partibus differunt. e. g.

1.) Peucedanum aquaticum TABERN. p. 178. GOTTSCHED. p. 165. n. 446.

2.) Peucedanum Siciliae foliis hirſutis, floribus luteis. I. B.

3.) Peucedanum caule tortuoſo, foeniculi foliis, vmbella globoſa. *Schol. Botan.* 171.

4. Peuce-

4.) Peucedani facie planta Maderenſis, PLVK. *Almag. Bot.*

5.) Peucedani facie planta Capenſis. Trifoliata acetoſae floribus. *Catal. Plant. in hortis ſiccis* PETIVERIANIS p. 247. n. 27.

§. XI.

TRAGVS Lib. II. c. 221. Peucedani duo producit genera, aut potius binas ſpecies. Primum tradit radice praelonga et alte in terram demiſſa, ſuccoſa et amara, ſupra terram barbam, ſeu comam, canam, ſetis porci ſimilem obtinente, caule tereti, foliis foeniculaceis, aut pineis potius veſtito, flore in Muscariis luteo; alterum ad *Rhenum* in arena tenuiſſima vigentem vidit, foliis anguſtiſſimis, veluti Cuminum equinum: Et hoc ſine dubio varietas ſolum prioris eſt.

§. XII.

Peucedani nomen et virtutes, veteribus, medicis Graecis et latinis, THEOPHRASTO, DIOSCORIDI, GALENO, APVLEIO, PLINIO aliisque, iam dudum fuiſſe cognitas, ex §. I. iam iam elucet; noſtrum autem Peucedanum germanicum verum eſſe Veterum et officinarum Peucedanum, exinde colligimus et euincimus, quia et radix, et folia, et flores, et odor, et vires, cum Veterum deſcriptione conueniunt. Si quis vero ad colorem radicis maxime reſpiciens, ex THEOPHRASTO, hiſt. Plant. Lib. IX. p. 1186. qui radicem nigram dicit, dubitare vellet, ille ſciat, quod color externus radicum, a climate ſoloque natali diuer-

ſis, magis obſcurus produci queat, et quod fuſcus radicum color, in ſiccis vt plurimum in nigrum mutetur.

§. XIII.

Finita itaque penitus Peucedani deſcriptione, enumeratisque ſingulis, hucusque cognitis plantae noſtrae ſpeciebus, ad internam etiam qualitatem, partiumque actiuarum delineationem, vt nos nunc accingamus neceſſe erit. Senſus quidem externi iam aliquale virtutum praebent teſtimonium, ita vt videri poſſit, nos ſpagyrica carere potuiſſe disquiſitione. Sed quo eo rectius omnia ſuccedant, et quo eo tutius morbos, quibus adhiberi liceat Peucedanum, enarrare poſſimus, quaedam in ſubſidium vocauimus experimenta, et analyſi chymica ipſas recluſimus partes. Quae vero inde obſeruauimus breuiſſimis, adumbrabimus.

§. XIV.

Recepimus primo ſummitatum herbae recentis *vncias nouem*, abiectis ſtipitibus, et ſuperfudimus aquae fontanae *libras quatuor*, per triduum macerationi ſubiecimus, ac denique omni diligentia e balneo cinereo per alembicum, leniſſimo ignis calore deſtillauimus. Primo nigricantes quasdam aſcendere vidimus nebulas, quas aucto igne ſingulae ſequebantur guttae, his denique collectis, aquiſiuimus aquae puriſſimae, pellucidae, *libram vnam cum ſemiſſe*, ſingularis odoris, ſaporis vero aliquomodo nauſeoſi, ſpecificae acritudinis, ſed adeo volatilis, vt libero aëri expoſita, breui temporis ſpatio inſipida reddita fuerit. Portioni quae in vaſe remanſerat, rurſus *vncias ſex*, herbae

herbae recentis adiunximus, et de nouo aquae fontanae *libras tres* ſuperfudimus, eodemque modo deſtillauimus, id quod quater fecimus, et aquam albicantem accepimus, quae praecedentem et fragranti odore et acri ſapore, longe praecellebat. Reſiduum vero colaturae beneficio ab impuris liberauimus partibus, atque leniori inſpiſſauimus euaporatione, vsque dum mellis acquiſiuerit conſiſtentiam. Color huius extracti erat ex nigro rufeſcens, odor nullus, ſiue paucus, ſapor vero nauſeoſus acidulus, aliquomodo amarus atque valde adſtringens.

§. XV.

Recepimus porro *vncias nouem*, herbae recentis, cui adfudimus *libras quatuor* vini vilioris pretii, et per triduum macerationi ſubiecimus, quo facto ex retorta vitrea lento igne hancce deſtillauimus maſſam, et *libram vnam, vncias duas*, liquoris albicantis accepimus, cuius ſapor acidulus, odor vero vinoſus et ſpecificus erat, et ita volatilis, vt breui tempore, aperto vaſe, omnem ſaporem odoremque amiſerit. Reſiduo ab omnibus impuritatibus mundato, et omni diligentia ad conſiſtentiam extracti inſpiſſato, *vncias quatuor*, extracti accepimus vinoſi, coloris fuſci, ſaporis vero gratioris extracto aquoſo, ſed ſumme adſtringentis.

§. XVI.

Dein *vncias duas* radicum probe ſiccauimus, conſcidimus, atque in mortario lapideo in puluerem contriuimus: ſuperfudimus *ſpiritus vini* rectificatiſſimi vncias octo, atque in arena tepida vas clauſum per quatuor

 dies

dies, totidemque repoſuimus noctes: tunc denique filtrauimus atque *vncias quatuor, drachmas duas,* ſpiritus vini aureo colore tincti, impetrauimus. Huius tincturae ſapor, acris aliquomodo erat, odorem vero fragrantem ſpargebat, aequali parte cum aqua fontana mixta, lacteſcebat. Reſiduum vero quod adhuc *vncias duas, drachmas tres,* ponderauit, colorem flauum, ſaporem acrem exhibuit, et odor valde affecit nares. Hancce vero tincturam immiſimus vaſi vitreo, et conſueto modo ſpiritu in arena abſtracto, reſiduoque filtrato, leni inſpiſſauimus calore, atque *drachmas duas cum ſemiſſe,* extracti impetrauimus ſpirituoſi, fuſci coloris, ſaporis vero odorisque adſtringentis, nauſeoſi.

§. XVII.

Vnciam dimidiam ſeminis maturi, recentis, contuſi, vaſi retorto immiſimus, et aquae puriſſimae *vncias quatuor* ſuperfudimus, atque ex Maris balneo decenter hinc deſtillando impetrauimus aquam liueſcentem, admodum ſapidam, et odorem, petroſelinum aemulantem, ſpargentem. Reſiduum a deſtillatione probe purificatum, ad conſiſtentiam extracti euaporando redegimus, et fuſcam accepimus maſſam, odoris expertem, ſaporem vero valde nauſeoſum et amarum praebentem.

§. XVIII.

Quid *ſalis* inſit, ex eo ſumus experti: foliorum recentium *vncias octo* in cineres concremauimus, et cum aqua frigida lixiuium fecimus, hoc filtrato atque leni calore in vaſe vitreo euaporato, ac denique ad ſiccitatem

tatem inſpiſſato, impetrauimus gr. XVI. ſalis alcalino fixi, quod vero libero aëri expoſitum, ſtatim diffluebat.

§. XIX.

An denique oleum impetrare poſſemus, tentauimus, et ſumſimus quidem *vncias duas*, ſeminis recentis exſiccati, quod vaſi retorto immiſimus et prius lento igne, per gradus vero ſenſim ſenſimque aucto, tandem vehementiſſimo, deſtillauimus, et oleum aliquod accepimus rufeſcens empyreumaticum, peſſime foetidum, pondere grauiſſimum.

§. XX.

Vt vero de natura horum certi fieremus productorum, Excellentiſſimum ſumus ſecuti SCHMIEDELIVM, *Diſſert. de Oreoſelino* p. 36. et variis cum ſpiritibus noſtra commiſcuimus praeparata. Acidis primo vſi ſumus, et ſpiritum *ſalis*, *nitri*, *ſulphuris*, *vitrioli*, *oleum vitrioli*, inſtillauimus aquis, ſed paruam ſeu potius nullam vidimus mutationem; cum *ſyrupo vero violarum*, penitus rubeſcebant. Ita etiam eſſentias examinauimus, et ſpiritum *ſalis*, *nitri*, inſtillauimus, cum quibus efferueſcebant; cum oleo *vitrioli* vitrum excaluit, et eſſentiae in nigrum conuertebantur colorem, quod idem de ſolutione *vitrioli communis*, vidimus. *Syrupus* vero *violarum*, virideſcentes effecit tincturas.

§. XXI.

Ex principiis chymicis, quilibet iam primo intuitu perſpiciet aquas noſtras ſal acidum continere, cum e contra in eſſentiis, alcalini indicia inueniantur. Eadem vero methodo

thodo extracta perſcrutari animus nobis fuit, et reperimus extractum vinoſum acidae eſſe indolis, quia cum ſpiritu *nitri*, *ſalis*, et inprimis cum *oleo Tartari* p. d. maxime efferueſcebat; e contrario in extracto, cum aquoſo, tum illo ex ſeminibus confecto, indubitata alkalini ſalis ſigna inuenimus.

§. XXII.

Non ſpatii temporisque anguſtia nobis permittit, vt prolixiores in disquiſitione ſimus experimentorum, quam obrem ad practicum nos nunc conuertamus vſum, et in PEVCEDANI vires, et ex veterum ſcriptis, et ex noſtris inquiramus experimentis.

§. XXIII.

Antiquiſſimis iam temporibus Medici noſtra vtebantur planta, et in multis morbis omni cum fructu adhibebatur. Iam in radicis deſcriptione §. 2. monuimus, illam valde eſſe ſuccoſam, quamobrem etiam liquorem inde eliciebant, et ſuccum exprimebant, quem radice praeſtantiorem eſſe ſibi perſuaſi habebant. Sic enim GALENVS lib. 8. *ſimplicium* loquitur: *Peucedani radice quidem maxime, ſed tamen eius ſucco et liquore vtimur. Sunt autem haec omnia eiusdem facultatis, ſed valentior ſuccus, admodum excalefaciens et digerens.* THEOPHRASTVS *hiſtoria plant.* lib. 9. p. 1178. ſolum radicis probat vſum, liquorem, ſeminaque vero inutilia iudicat, cum e contrario AGRICOLA, *Medicin. herbar.* pag. 255. vſum plantae noſtrae deſcribens, explicite dicat: *tria ex Peucedano habere oportet, liquorem, ſuccum, atque radices.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Iuſtam nunc nullius pronunciamus cauſam, quia ex ſequentibus patebit, quatenus cuiuslibet ſequi poterimus ſententiam. Noſtrum vero erit vt excipiendi liquoris rationem explicemus. Sic vero eam DIOSCORIDES *lib.* 8. *cap.* 92. docuit; *Tenera enim* inquit, *radix conſcinditur cultello, ſtatimque qui profluit e plaga liquor in vmbra reponitur, ſiquidem confeſtim euaneſcit. Vulnerata vero radix flauum, gummeum, graueolentem, emittit liquorem, mox concreſcentem, coloreque referentem ſulphur.* Variat tamen et liquoris color et odor, pro coeli ſolique ratione, et vix dubitandum erit, quin eius virtutes in calidis ſint maiores climatibus quam in noſtris. Quandam enim quidem graueolentiam, non autem tantam acritudinem, quam veteres deſcripſerunt, experimur.

§. XXV.

Nec praetermittenda illa Veterum erit cautela, quam MATTHIOLVS, *pag.* 578. commemorat: Dicit nempe, Liquorem inter colligendum dolorem vertiginemque inducere capitis, niſi quis prius roſaceo perunxerit nares, eodemque irrigauerit caput. Ex iisdem vero radicibus ex quibus profluit liquor, ſuccus colligitur: Vulnerata enim radix ſponte emittit liquorem, cum e contrario ſuccus exprimatur, quem Veteres liquore inefficaciorem eſſe, citiusque exſpirare crediderunt.

§. XXVI.

Paucis tempus tangamus quo haecce educi poſſint fluida; ſi generatim radices perſpicere volumus, in-

D veniemus,

veniemus, illas vernali quidem tempore maxima quantitate colligere ſuccos, ob deficientem tamen calorem eſſe crudos, quamobrem Auguſto menſe et Autumno eas efficaciſſimas credimus, tunc enim temporis non raro radicibus *ſuccum concretum* quaſi et *Thuri conſimilem*, adhaerere deprehendimus, quod inde euenire poterit, ſi forte a vermibus aut quouis alio incommodo radix vulnerata fuerit. Sed et ſucco targidam radicem, disruptis fibris, hanc gummi reſinoſam maſſam fundere ſponte, vel leuiter ſauciatam emittere, monet *ill.* PRAESES. De *ferulaceis* enim *plantis*, qualis noſtra eſt, nouimus, eas vel ſponte vel ſauciatas fundere tempeſtate calida lacrymas, in gummi reſinoſam indolem degenerantes. Sic *ammoniacum gummi*, *Galbanum*, *ſagapenum*, *Opoponax*, cet. ferulaceis plantis debent originem. V. HERMANN. *Cynoſur. mater. med.* GEOFFROI *mat. med.* T. II. p. 603. 631. IVNCKER *Therap. general.* p. 183. 186. WOYT. *Gazophylac. med.* edit. HEBENSTREIT. p. 807. An ne ergo *Gummi Peucedani Germanici* dictis aequiparari poteſt exoticis? Tentanda ſunt vberiora.

§. XXII.

Radix vt plurimum ſola in noſtris inuenitur officinis: cuticula abraſa, in partes diſſecta et exſiccata aſſeruatur, tunc vero odor longe debilior, ſapor vero aliquomodo acris deprehenditur, aromaticus. Vt plurimum radices in officinis aſſeruatae vilioris ſunt indolis, et THEOPHRASTVS ſuo iam tempore id de noſtra dicere coactus fuit planta. Radix quae in officinis peucedani

dani venditur nomine, vel exoleta vel adulterina eſt. DIOSCORIDES radices quales eligere debeant Medici docet: radicem inquit, eligito recentem, minime carioſam, ſolidam, odoris plenam. Quamobrem etiam moneo, vt ſi quis noſtra vti velit radice, illam ipſe colligat, aeri quidem libero, ſed ſolis radiis non adeo illuſtrato, exponat, vsque dum ſenſim ſenſimque flacceſcat, et areſiat; alias enim vires, quas Peucedano tribuimus, plane experiri non poterit.

§. XXVIII.

Sed proprius accedendum eſt ad vtendi peucedano modum, in quo illud prius erit quaerendum, vtrum Anteceſſores noſtri peucedanum ipſum, vt loquimur, in ſubſtantia nempe dederint, porro etiam, vtrum ſolum illud, an vero aliis permixtum exhibuerint medicamentis, et denique, an externe plantam noſtram applicauerint vnquam? Et de primo quidem ſatis clara nobis exſtant documenta: DIOSCORIDES autor eſt, dari per ſe, cum ſucum atque liquorem praeſtantiſſimum in multis morbis dicat remedium: GALENVS hoc confirmat, et inſuper addit, Peucedani radice quidem maxime, ſed prae omnibus eius ſucco vtimur et liquore. Certum itaque eſt, quod Peucedani ſuccus atque liquor iam PLINIO, DIOSCORIDI, GALENO, THEOPHRASTO, aliisque iam vſu receptus fuerit. Decoctum autem peucedani PLINII iam tempore vſurpatum fuiſſe, ex eiusdem *hiſtor. natural.* Lib. XXV. c. IX. *Lib.* XXVI. c. VIII. et XIII. liquet, praeter ea, quae

 de

de ſucco, in plurimis morbis et vlceribus externis proficuo, in multis locis magnifice loquitur. Altera noſtra erit diſquiſitio, an primi temporibus aeui iam aliis medicamentis permixtam plantam exhibuerint noſtram; et de hacce re legi merentur omnes iam citati Autores, ex quibus DIOSCORIDEM ſolum adducam, qui luculenter dicit: Si quis ſuccum alicui praebere vellet, illum variis ſub conditionibus vel cum amygdalis, vel ruta, vel pane calido poterit commiſcere. Neque vires quas externe applicatum, exſerit peucedanum, Anteceſſores noſtres latuerunt: Ex radice enim perficiebant farinam, quam in varii generis vlceribus adhibebant. Noſtris vero temporibus in ceratis et calefacientibus immiſcetur malagmatibus; ſordidis enim vlceribus illinita, ea purgat, vetera cicatrice obducit, et ſquamas extrahit oſſium, DIOSCORIDE, et GALENO teſtantibus.

§. XXIX.

Calefaciendi vi, radicem gaudere noſtram, tam auctoritate, quam ratione atque experientia probatur. Diuini illi ſenis HIPPOCRATIS *lib. II. de diaeta cap. 33.* acria generatim reſpicientis, memorabile inuenitur effatum: *Acria calida eſſe conſueuere, tum quae ſicca, tum quae humida ſunt.* Et hoc etiam de noſtra valet planta. Primum enim partibus gaudet ſulphureis, quae non ſolum ſanguinis augent ſulphur, ſed et rapidiorem illi inducunt motum; deinde plures tenues, ſalinas, penetrantes inuenimus particulas, omne id quod concretum eſt, reſoluentes, craſſum viſcidum attenuantes et incidentes,

tes, adeoque ſanguinem et ſerum in motum inteſtinum et progreſſiuum cientes, ſaltem motus inpedimenta remouentes, adeoque motui, et qui illo actuatur calori, velificantes. Magno itaque cum emolumento in morbis adhibetur ſic dictis, frigidis, vbi quieta magis cum reliquis humoribus inuenitur lympha, ſerumque inſpiſſatum, quod praedominium tunc prae ſanguine ſtricte ſic dicto affectat, eiusque obtundit agilitatem, vt in hydrope, cachexia, menſium obſtructione, ſcorbuto frigido, paralyſi, apoplexia, viſcoſa nempe, et ſimilibus ſoporoſis affectibus. Nec obſtat validiores et efficaciores ineſſe plantae noſtrae partes. Moderate et prouide enim adhibita etiam virulenta, tutum praeſtare vſum poſſunt, qua de re cautela in adhibendis virulentis, et hoc loco obſeruanda erit, quam ILL. PRAESES in nupera diſſertatione de coccinellae dignitate §. 16. et 19. ſubminiſtrauit.

§. XXX.

Quod Celeberrimus WEDELIVS. de acribus in genere fatetur, id in ſpecie de noſtra valere radice, vere videor contendere: Nimirum reſoluit, incidit, digerit, attenuat, aperit, particulis ſuis tenuibus ſalinis intime totius corporis peruadit poros craſſos, diſſoluit humores, eosque rurſus in motum ciet, vt vel diſſipentur per emunctoria conſueta, vel rurſus ad maſſam reducantur ſanguineam, ibique ita praeparentur, vt eo facilius vel per cutem, vel per renes eliminari poſſint. Poſſidet enim planta noſtra multum ſalis volatilis vti e §. 14. 15. liquet, quod ſtimulat, ſenſationique inde

motum proportionatum excitat, ideoque reſoluit; et dum copioſis, ex gummi reſinoſa indole, ſaponaceis partibus gaudet, quae pulchrum reſolutorium effectum producunt, omni certe iure inter reſoluentia medicamenta, quae in obſtructionibus varii generis, a materia viscida, craſſa, lenta, tenace, oriundis, maxime proſunt, meretur cenſeri, licet cel. LINNAEVS eam inrer exoleta referat. *Mater. med.* Lib. I. p. 42. Aperit nempe particulis valde agilibus ſuis minimas vias, vsque ad vltima penetrat vaſa, ſtaſes humorum egregie reſoluit, imo partibus ſuis ſalino ſulphureis disiicit. Virtutum iam antea notarum mentionem itidem facit BOECLER. ad HERMANN. *cynoſur. mat. med*, *Tom.* I. p. 93.

§. XXXI.

Inter conditiones quae requiruntur, ſi ſecretiones atque excretiones debent ſuccedere auctae, hae quoque ſequentes obtinent locum: Si ſcilicet vaſa maiori vi agunt in fluida, eorum motus tam progreſſiuus qnam inteſtinus augetur, et eorum reſolutio maior et calor maior producitur; Nunc acria, praeter ea, quod in canales minimos penetrent, et poris ſeſe intimius infigant, tenaciaque a maiore cohaeſione liberent, in partes corporis humani ſolidas ſtimulando ita agunt, vt, oſcillatione fibrarum aucta, verſus eas maiorem excitent fluidorum affluxum, actionem tum vaſorum in fluida augeant, motum tam progreſſiuum quam inteſtinum fluidorum accelerent, reſolutionem atque maiorem calorem producant. V. citatam

tatam *Exc.* PRAESID. de coccinella *diſſert.* §. 15. Inter *acria* vero principalem aliquem noſtra radix meretur locum, quae partibus ſuis ſalino ſulphureis ſolidorum fibrillas, irritando, et partibus itidem acido auſteris tonum naturalem augendo, roborando, ſecretiones atque excretiones quam maxime auget.

§. XXXII.

Sed et inter *diſcutientia* numerari meretur peucedanum, cum ſua ſalino ſulphurea vi, adeoque potentiali calore, ſeroſos humores, et ſubſiſtentes flatus, e partium poris, et quibus tenebantur, clauſtris, diſſipet: *Carminatiuum* igitur ſit neceſſe eſt. Et diaphoretica et diuretica gaudet vi, quam *decoctum* eius prae aliis praeparatis maxime exercet; veſicae lenit cruciatus, et dolores et ſpaſmodicas contractiones renum, ſi a glutinoſo oriantur, hoc diuidendo et tollendo, ſopit. *Anticachecticum* eſt, et viſcera aperit, cum teſte MATTHIOLO, et propria experientia, leniter ventrem, ſubducat, roburque visceribus reſtauret, inertes, aquoſas, viſcoſas corrigat humores, illosque eliminet. Virtus vero Peucedani purgans, reſidet potiſſimum in ſale eius volatili, et ex parte in gummoſa eius indole. Dum vero ipſae partes gummoſae et quae noſtrae inſunt plantae terreſtres, virtutem purgantem, quatenus ab eius dependet ſale volatili, mitigent, ſequitur, quod virtus peucedani purgans, temperata et lenis eſſe debeat.

§. XXIII.

Dum vero inteſtina ſtimulat et viſcidam reſoluit pituitam, inter *anthelmintica* Peucedanum, referri poteſt.

Quod

Quod de acribus ex ſententia Illuſtris HOFFMANNI *diſſertatione* de *Anthelminticis* §. 26. in genere valet, id de noſtra aſſerere poſſumus radice. Sic enim inquit: Acria inter principalia ſunt anthelmintica, nonſolum quod vi gaudeant incidendi et reſoluendi viſcidum mucum, verum etiam quod vermibus ſua acrimonia veneni loco ſint. Ex amarore peucedani, anthelmintica eius virtus aperte quoque liquet.

§. XXXIV.

Auctoritate B. WEDELII *Theoria ſaporum* M. Sect. V. pag. 145. qui de acribus generatim, quod ſint antiscorbutica, profitetur, et inter *antiscorbutica* noſtrum recenſemus peucedanum, quod, etſi non omnes radices, quae inter remedia recenſentur antiscorbutica, acri ſuo ſuperet ſapore, tamen vltimum minime inter illas meretur locum. Licebit vnicam ſaltem hiſtoriam curatae *ſcabiei* ſingularis ſubnectere: Vir quidam Iuuenis, viginti quatuor circiter annis natus, temperamento ſanguineo melancholico, habitu vero corporis athletico praeditus, nunquam, ob haereditarium quendam horrorem, ſanguinis ſubductiones per phlebotomiam paſſus, ex inquinamento, per contagium, corripitur morbo, et quidem ſcabie maligna, dicta ſcorbutica. Exanthemata totam corporis ſuperficiem occupabant, et maxime quidem in iuncturis brachiorum et pedum ſedem figebant. Plurimorum experientiſſimorum Medicorum vtebatur conſiliis, aſt nihiloſecius morbus minime tollebatur, ſed omnes in eo denique conſentiebant, ſaliuationem eſſe inſtituen-

inſtituendam. Cum vero ex amicorum eſſet numero, et eo ipſo tempore animum hancce ad diſſertationem elaborandam appulerimus, illum admonuimus, vt prius vnicum adhuc tentaret experimentum, et quum ad omnia promtus eſſet, quotidie illi libras ſex decocti concentratiſſimi, ex radicibus peucedani, per quatuor porreximus hebdomades; interpoſuimus vero laxantia leniſſima, quibus nonnunquam gr. XV. vsque ad ſcrupulum vnum extracti vinoſi peucedani miſcuimus, ac ſtrictiſſimam illi praeſcripſimus diaetam, quo factum eſt, vt poſt triginta circiter dies ſenſim ſenſimque prurientes euaneſcerent puſtulae, et cum adhuc per aliquod tempus infuſum herbae ſumſiſſet calidum, penitus conualeſceret aeger.

§. XXXV.

Recentiores, qui naturam *febrium* declarare volunt, Medici, ad hanc actuandam ſpaſmum in minimis requirunt fibris. Si vero ſpasmodica oriri debet a materia quadam contractio, tum haec viſcida, acris, quae ſolida irritet, adeſſe poteſt. Hancce vero materiam radix noſtra reſoluit ſtimulo ſuo, et diaphoretica et diuretica vi per loca educit excretoria, ideoque ſpasmum lenit. Si vero cauſa morbi remouetur, morbus ipſe tollitur; ergo et in febribus nonnullis, quae viſcidam talem materiam pro materiali noxa agnoſcunt, curandis, virtus peucedani non erit exigua. Quid? quod et inter *lui venereae aduerſantia* mereatur locum. Agit nempe ſalinis ſuis particulis in ſeroſam et ſaliualem colluuiem, reſoluit

 viſcidum

viſcidum in minimis interſtitiis haerens, vitiatam lympham ſalinis particulis incidit, illamque aptam ad excretionem reddit, motum in fluidis auget, et perinde glutinoſum viſcidum glandulas occupans mouet, atque ideo in ſanatione huius morbi, in Germania noſtra, noſtris temporibus frequentius occurentis, aliis remediis quam maxime ſuccurrit.

§. XXXVI.

Plurimis denique prodeſt capitis affectibus, praeſertim a cauſa oriundis, ſic dicta, frigida. Tinnitum, ſibilum, ſuſurrum aurium, a cauſſa catarrhali oriundum, abigit, vel ſpasmum ſopiendo, vel ſerum ibidem ſtagnans eliminando, cauernisque dentium inditum mitigat dolores. Lethargicis, vertiginoſis, comitialibus, et longis capitis doloribus, omnibus in vniuerſum vitiis neruorum, ex oleo et aceto illinitum prodeſſe, dicunt PLINIVS, THEOPHRASTVS, GALENVS, et alii, circa quae autem encomia, ne videatur aſſertio noſtra ſuſpecta, merito commendamus, et ad therapiae generalis ſaniora principia accommodatam, discretionem.

§. XXXVII.

Si ad *morbos medii ventris* ſpeciales, pulmonum praecipue, ex ſpiſſitudine et viſcoſitate humorum prouenientes, reſpicere volumus, non parum emolumenti illis noſtram adferre poſſe radicem inueniemus; abſtergit enim, ſiccat; mundat, conſolidat, putredini reſiſtit, vlcera pulmonum abſtergit, obſtructiones et ſcirrhos reſoluit, viſcidam denique lympham, bronchia obſtruentem

pul-

pulmonum, aſthmata ſuffocationesque inducentem, disiicit, et ad expectorationem promouet. Contra tuſſim efficaciſſime ex ouo aſſumitur, et ſic niſi *Phtiſicum* penitus ſanat, tamen conſeruare poterit. SCHVLTZIVS *materia medica* pag. 410. et I. B. CHOMEL *Abregé de l'hiſtoire des plantes uſuelles* p. 106. quam maxime in difficultate reſpirandi, quin etiam in Aſthmate metallicorum laudant. A nonnullis ſal ſolum in eiusmodi commendatur morbis. vid. *Taberna m.* p. 157. Quin etiam *Lienes induratos* iuuat, nempe incidendo, digerendo atque attenuando humores.

§. XXXVIII.

Morbis praecipue medetur *ventriculi*, amiſſum enim reſtituit calorem, tonum reſtaurat inertem et ſic in chylificatione laeſa, cardialgia, ſingultu, et ſimilibus quam maxime prodeſt. Inteſtinalibus prodeſt incommodis, flatus enim diſcutit, inteſtina ſtimulat, eaque ad excrementorum excluſionem irritat. Quid vero in debilitato ventriculi et viſcerum abdominalium atque chylificatione laeſia planta noſtra poſſit, in iuuene quodam ſumus experti. Extracto vero vſi ſumus vinoſo, cuius ſingulis vicibus gr. XXV. ieiuno hauſit ſtomacho, et quidem primo aliquem expertus eſt calorem, ſubſequente leni ſudore, et poſtea lenem obſeruauit alui euacuationem. Breui tempore omnia incommoda quae exinde oriebantur ceſſabant, appetitus reſtaurabatur amiſſus, et ſanum floridumque poſtea acquiſiuit corpus.

 §. XXXIX.

§. XXXIX.

Inter *lithontriptica* quoque numerari meretur noſtra radix: magnam enim nobis oſtendit virtutem, in reſolutione peregrinarum particularum in corpore noſtro obortarum, ſe et excretiones promouet, et ſic ſabuloſae materiae vias aperit; et concretiones calculoſas impedit, quare etiam *ſpecies lithontripticas* NICOLAI ingreditur.

§. XXXX.

Denique et inter *vterina* non vltimum obtinet locum: Corrigit nempe humores, viſciditatem reſoluit, motum humorum in minimis ſtagnantium vaſis efficit, aequalem corpori inducit circulum ſanguinis, qua de cauſſa in obſtructione menſium a visciditate fluidorum atque immeabilitate orta, magno cum emolumento adhibetur. Mirum ipſi ſumus experti effectum, in puella octodecim annorum, quae ob vitam ſedentariam, atque vitia quaedam diaetae, pauperibus conſueta, perduos circiter annos catameniorum fluxum penitus non experta fuerat, ideoque cachecticum ſtatum corpori induxerat ſuo. Meo vtebatur conſilio, et primo canalem inteſtinorum ab impuritatibus laxante quodam ex Rhabarbaro et Sennae foliis parato liberauimus, poſtea noſtrum porreximus extractum in forma pilularum, et paruam quantitatem ſaponis veneti, nec non grana quaedam mercurii adiecimus dulcis, accuratam diaetam, praeſcripſimus, decoctum autem peucedani ex radicibus paratum, pro ordinario potu, motum corporis, et nonnunquam pediluuia cum herbis, ſuaſimus; cum vero per

aliquod

aliquod tempus hancce proſecuti fuerimus methodum, felici ſucceſſu menſtrua erumpebant, et cum per ſequentes menſes ordinarie fluerent, breui temporis ſpatio, colorem faciei viuidum, vires atque alacritatem corporis rurſus obtinuit.

Sed ſufficiant haec, quae de vſu PEVCEDANI medico propoſuimus, cum temporis anguſtia et limites diſſertationis Academicae, nimiam prolixitatem prohibeant. DEO vero TER OPTIMO MAXIMO, gratias perſoluimus humillimas, pro conceſſis in ſtudio medico et labore noſtro viribus, et ſupplex aeternum illud oramus numen, vt ſua gratia ſuoque adiutorio et inpoſterum nobis nunquam deeſſe velit.

TANTVM.

PRAENOBILISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
P. C. L.
WAGNERO
OMNEM PRECATVR FELICITATEM
PRAESES.

Haec vera doctorum academicorum eſt felicitas, ſi, dum in formandis ingenuorum iuuenum animis pro virili deſudant, induſtriam bene etiam locatam cernunt, atque ſic ſe rei publicae hominumque ſaluti non in vanum conſuluiſſe ſentiunt. Arbitrium quidem, et ius et norma loquendi, a ſummis bonarum artium templorum ſtatoribus, his ſcientiarum anteceſſoribus conceſſum, ita comparatum eſt, vt, ſi parta tueri, ſi res ex voto fluere ardentiſſime et ex officio anhelent, magnae molis negotium, ob varias rerum humanarum conditiones, eſſe intelligant. Sed excitat tamen in campo academico operantes, ſi, in caſſum ſe non laboraſſe, certiores redduntur. Quare et mihi et Tibi, praenobiliſſime Domine Doctorande, gratulari, habere mihi videor. Studiorum enim apud nos, et apud Lipſienſes et Berolinenſes, rite factorum publicum inaugurali diſſertatione Tua edis teſtimonium, quod, vt eo magis, quantum hucusque profeceris, elucesceret, ſi nonnulla exceperis, omne ad Te redit. Age iam, Doctorande praeſtantiſſime, et dum ampliſſimus ad medicinam faciendam Tibi iam campus aperitur, ſtrenue in id incumbe, vt ſcientiae noſtrae certitudinem et dignitatem et elegantiam vberius confirmes. ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO PARENTI TVO, Viro, praeter rem medicam, in omni hiſtoria naturali nemini ſecundo, fautori et amico noſtro colendiſſimo, de gaudio, ob filium, poſt peracta ſtudia academica, ſummis in medicina honoribus condecoratum, animitus gratulari, occaſionem lubentiſſime arripio, atque vt, proſpera ſemper et quauis incolumitate gauiſus, etiam de filii rebus prosperrime ſuccedentibus, diu laetari poſſit, ardentiſſime voueo. Deus annuat votis. Vale. Dabam in Fridericiana Erlangenſi. d. XXIV. Iul. MDCCLIII.

U. HOLZER
BINDER
BOSTON, MASS